

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Collegium recipere; puer est optimæ spei, quem D. M. Heilandus etiam commendat mihi. Si igitur potes aliquid facere, ut facias oro. Est enim duplex pietatis officium erga exulem & filium, qui aliquando Ecclesiæ DEI prodesse poterit. Quid igitur expectandum sit, quæso ad me perscribas: nollem enim patrem cum filio sub dubia spe ad vos mittere. Poteris autem, ut ego spero, plurimum in hac parte, nec te Rector sua autoritate impediet. Bene & feliciter vale, & Collegium vestrum meo nomine reverenter salutabis. Iterum vale. Raptim Tubingæ, 4. Novembris, 1572.

Petit à me D. Illyricus per studiosum quendam Tubingensem, ut si ulla ratione fieri posset, compositionem controversiæ de peccato Originis juvem. Cum ergo omninò sperem, mihi ante festum Nativitatis Mompelgartum eundem, in transitu vos salutabo & aliquid tentabo, spero operam non fore inutilem. Quod te scire volui, ut & ipse de hoc negotio cogites. Nam fortassis incipit intelligere, se neminem habiturum amplius, qui ei adsit in causa mala, & poterimus hac ratione etiam alios adducere, ut communem controversiam juvent. Sed hæc tibi secreto sint scripta. Reliqua, ut spero, coram audies. Ego eo libentius iter Mompelgardum suscipiam, ut hac ratione liceat nobis denuo convenire & de rebus omnibus necessariis familiariter conferre. Vel tandem pericula animos reliquorum, ut spero, incipient conjungere. Iterum & bene vale. Uxorem tuam honestissimam mea reverenter & diligenter salutat.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.

CXVIII.

Salutem in Domino.

SALVOS vos & incolumes Rostochium venisse, sanè gaudeo, Deumque precor, ut rebus ex animi sententia confectis, autoritate & prudentia aucti, eadem felicitate quam primum ad nos revertamini. Quæ interim Heri valetudo fuerit, scio vos ex reliquorum literis jam cognovisse. Quoties autem ego in illo metu nostro, imò in præsentè morte Heri, de vobis cogitarim, qui tam procul absentes; quo loco res nostræ essent, ignoraretis, explicare non possum dicendo. Ego pro me stupidus Hero usque affedi, meam, vestram, Ecclesiæ, Scholæ calamitatem tacitè lamentans. Sed benedictus Dominus, cujus sunt, ut Psalmus ait, תִּצְאוּרָה לְמוֹת, qui hoc gaudium, quo non obscure essegebantur Nestoriani, solidum esse noluerit. Spero autem hanc repentinum

& ve-

& verè miraculosam valetudinis Heri conversionem, paulo post cæterarum etiam rerum lætam catastrophem esse allaturam. In Schola si, quid fiat, quæritis, respondeo, à factione Attica *ἔδω τῶν δόκτων*. Sylla amoribus implicatus jamdiu in Scholis non est visus. D. Giphanio spectata virtute & constante in Herum voluntate viro, gravis admodum fuit cum Duppio concertatio de hora. Cum enim Giphanio Institutiones juris docendæ commissæ essent, Duppio mandatæ Pandectæ, retinere tamen institutionum horam Duppius conatus est, & Giphanium in nonam horam rejicere, quæ quàm sit Jureconsulto incommoda, ipsi intelligitis. Res est acta magno partium studio, frequente conventu primum, post apud Scholarchas, quorum sententiam Magistratus confirmavit, ut Institutionibus sua esset hora 1. novæ lectioni nova quæreretur: Inventa igitur nona est, quam Giphanio obtrufum ibant, & auditorium in Cænobio Collegii. Civiliter à Theologis petitum erat, ut ipsi ad D. Thomæ docere vellent, quod ea res Hero male ex pedibus affecto commoda videretur. Considerate autem, quantam pro eo curam gerunt homines, ut vehementer *convulsis*. Occasio enim quærerebatur, Theologos ex Schola planè ejiciendi. Sed non tam obelæ naris hi fuerunt, quin quid cessione hac possent amittere, animadvertent. Itaque & Theologi suam retinent *ἰσχυρα* & Institutarius suam horam, maximo studiosorum concursu. Venio ad Syllæ nuptias. Quod in his & significandis & benedicendis ministrorum Ecclesiæ Thomanæ opera erat usus, petitum ab eo est, ut ad Presbyterorū & ministrorum ejus Ecclesiæ consilium vellet venire. Esse enim, de quibus cum eo necessarium ipsis sit prius conferre. Ille primo non abnuere, sed de die in diem rem ducere, tandem planè negare, & per novum affinem Hochfeldum excusare, Presbyteros etiam exorare, ne hanc sibi necessitatem afferant. Sunt autem hi, ut intelligatis, facile ab eis impetrari hoc potuisse, Nicolaus Meier, XV. vir, Lazarus Imser zur Spizen / Theobaldus Vagius. Ministri nihil remittere, & quia Presbyteri recusent, ipsi eum nihilominus vocare. Ibi verò Hochfeldus denuò redit, sed furia, Rihelio, comitatus. Ibi acres expostulationes, opprobria, minæ: ad quæ omnia ita affabrè, nihil tamen commotus Faber respondit, ut ad preces, & quidem supplices, propter DELUM conversi, stipulata manu pollicerentur: Sese primo quoque post nuptias tempore, cum primum Ministri vellent, Syllam esse stituros. Ita impetrarunt, ut à Matthia Diacono perendie nuptiæ benedicerentur. Si quæritis, quæ minæ, quæ opprobria. Ego verò, inquit Osius, si quis vestrum ita in me injurius esset, vel ab ipso altari abstractum Pfaffum dignis modis acciperem. At tu cave, respondebat Faber, ne, si hoc conatus fueris, vel Patris tui in Ara tibi imago occurrat, vel impii regis exemplo manus in Prophetam injuria exarescat. Ille contra; At vos seditiosi estis, nuperque aded concire plebem in Magistratum disciplina ve-

stra conati, digni in quos Magdeburgense statuatur exemplum. Noster autem; Statuite igitur, & quid in vos DEUS constituturus sit, expectate. Non enim ille vel minas vestras extimescit, vel potentiam reformidat. Iterum ille: Cur autem, quæ Sturmio privata est cum D. Marbachio lis, eam vos communem facitis? Imo faciemus communissimam: & nisi nobis cessat Sturmius, pro uno Marbachio, viginti alios quatuor hostes habebit, quod vos ei renunciate liberè. Hochfeldus autem innocentem scilicet hominem excusans: multa ejus dicta calumniosè ab adversariis detorqueri conquirebatur, hoc recente allato exemplo. Quod Volratus Mansfeldicus his ipsis diebus per literas cum eo expostulasset, quod ipse Rhetor, Illyricum, hominem Theologum, passim traduceret, in alienam messem injecta falce; cum tamen Illyrici nullam ipse publicam mentionem unquam fecerit. Rectè respondit Faber: agnosco DEI judicium. Cur enim alios apud Magistratum clandestinæ societatis & collusionis accusavit, qui tamen ab eo veriore indicio erant alieni? Sed hæc hætenus. Datæ erant Theologis, ut ad alia accedam, disputandi partes; id oneris mihi Herus imponendum existimavit. Ipse enim jam tum non commodissime valebat, & M. Florus strenuè repugnabat, qui tamen, ut hoc obiter, sed verè scribam, vestri honorificè & sapè meminit. Mitto propositiones, jussus ab Hero, ut D. etiam Chytræo unum detur exemplum. Heri extrema fuit exercitatio, & spero, *perperam* mihi ab Auditorio dari potuisse veniam. Respondens est Pædagogus Collegii Wilhelmici, juvenis egregia doctrina, & probatis moribus. In cæteris rebus nihil est novi, quod sciam, aut si est, cæterorum vos literæ docebunt. Has autem literas malui ad vos, quam vestro exemplo nihil mittere; judicabam enim de me, eas vobis non ingratas fore. Salutant vos Flinn. Flor. Faber uterque. Valete & festinationi ignoscite. Argentorato, XVI. Calend. Decembr. 1572.

Vester ex animo

Johannes Pappus.

CXIX.

*Salutem in Salvatore, Reverende & Clarissime Viri,
frater charissime.*

AD proxime tuas ad me exaratas, paucis & breviter, nactus hunc tabellarium inopinatum; respondebo. Et primò quidem reverenter & officiosè tibi ago gratias, pro insigni tua erga me humanitate & benevolentia, quàm denuo in hoc decla-

talli,